

Q. D. B. V.

Dissertationis Academicæ,

De

MARI FUSO,

In Templo Hierosolymitanæ,

Partem Posteriorem Mathematicam

Sub Præsidio

VIRI CLARISSIMI

Mag. NICOLAI

GÄSSELBÖHM,

Matb. Prof. ss. Publ & Ordin.

Pro Gradu MAGISTERII,

D. v. die 23 Martii 1726.

In Auditorio Maximo,

Eboracum censuræ modeste subjicit

GREGOR. G. STEENMAN

Aböensis.

ABOÆ, Invr. FRIC FLUDSTRÖM, Reg.

Acad Typogr.

S:Æ R:Æ M:ÆTIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,

REGNI SUECIÆ
SENATORI
PRIMARIO,

REGIÆ CANCELLARIÆ
PRÆSIDI,

Ec

Academie Aboënsis

CANCELLARIO,

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMO QUE
COMITI ac DOMINO ,

DN. ARVIDO
HORN,

LITERARUM

MÆCENATI SUMMO.

*ILLUSTRISSIME, CELSISSIMEq;
DOMINE COMES.*

Qui vasta per maria iter
facere coguntur mor-
tales, haud parum sunt
de portibus, eorumque oppor-
tu-

tunitate tranquillitateque solli-
citi; ut, imminente tempestate,
haecant, quo tui refugiant. Cu-
ram hanc navingantium, necessi-
tas utilem, utilitas ludandam dos-
cet: hi enim ab injuria &
turore maris, fluctuumque tumultu-
uantium, securi quiescunt; aliis
incuriae suæ pœnas, jactura for-
tunarum, & ipsius læpenume-
ro vitæ, luentibus. Eadem pæ-
ne est conditio, Illusterrime
Comes, eorum, qui vires omnes
& facultates tuas studiis impen-
dunt; qui, per arduas Parnassi
vias, honores ambiunt Musis
consecratos: in eos enim con-
stanter inconstans fortuna ty-
rannidem suam mirifice exercet,
variusque calamitatum fluctibus
ita agitat, jactatque; ut, nisi
benignissimorum Mæcenatum,

Tu-

Tutelarium instar Deorum,
præsidio conserventur, tæpe le-
te sentiant suppresos. Non est
igitur sine ratione, quod, qui
Musis tæse dediderunt, tales si-
bi Mæcenates quærant anxii,
sub quorum alis, adspirante Di-
vinæ aura græciæ, quasi in por-
tu navigent rutilaque quielicant;
qui etiam lychai instar, viam
illis ad honores non monstrant
tantum, sed propenso etiam a-
nimo aperiant. Quare, Celsi-
sine Comes, Mæcenas libera-
rium artium Summe, quod, ex
fama, per totum orbem litera-
tum divulgata, de incredibili
& pæne inaudito TUO erga Mu-
sarum præsertim cultores favo-
re, TUAM & ego sustineam im-
plorate gratiam, si justo jam vi-
deor audacior; audaciam, ne
di-

dicam temeritatem rei, necessitas apud TE excusabit. Non enim potui non querere ex TE Celsissime Comes, certissimum quoddam mihi praesidium; & quo tenues haec pagellæ, omni nitore proprio destituta, Celsissimo tamen TUO Nominé illustrarentur, TUÆ illas Excellentias, in devotissimi animi pignus, submissa, qua pars est, animi veneratione offerre. Accipe, Mæcenas Summe, tenerum hunc ingenii foetum, sereno, quo soles, vultu: maturior ætas, maturiorem, per Dei gratiam, exhibebit fructum. TUO ego Patrocinio, Celsissime Comes, memet supplex & venerabundus commendos; quoad vixero, pro Illustrissimæ, Celsissimæq; Excellentiaæ TUÆ perenni in-

colu-

columitate, felicitate & gloria,
preces ad Deum futurus arden-
tissimas.


**CELSISSIMI & ILLUSTRISSIMI
NOMINIS TUI**

Devotissimus servus
GREGORIUS STEENMAN.

*PERILLIUSTRI, GENEROSISSIMO
COMITI ac DOMINO,
Dn. CLAUDIO
EKEBLAD,
COMITI de STOLA ;
Acadamiae Aboensis
RECTORI
Magnificentissimo ,
PATRONO MAGNO.*

IN devoti & gratissimi animi pignus,
ob singularem TUUM, *Perillustri &*
Generosissime Dn. Rector, in me favorem,
cum & aliquam ulterioris TUÆ be-
nevolentie spem, tenues hanc pagel-
las, cum ardentissimis votis acq̄ suipi-
riis, ut in Reipublicæ decus ac emo-
lumentum, literarumq̄ præsidium
certissimum, per etatem bene longam
vivas, vigeas & floreas, submisso do,
dico, dedico ,
MAGNI TUI NOMINIS

*Humillimus Cultor
G. G. F. S.*



I. N. J.

Duo jam præterlapsi sunt anno
ni, & quod excurrat, cum
specimen aliquod diligen-
tia, & tenuioris Miner-
væ, in alma hac Academia Aboënsi
publice editurus, Dissertationem
brevem licet & simplicem, de mate-
ria tamen prorsus egregia, stupen-
do videlicet, non minus ob magnitu-
dinem, quam artificium & elegan-
tiam, *mari Salomonis* fūō conscri-
pleram, in qua Scripturæ loca (a) ubi
de æneo hoc vase agitur ad normam
sanioris Philologiæ enucleatae, inter-
te conciliavi. Multum profecto &
temporis & laboris viri doctissimi
in explicationem horum locorum

A

im-

(a) 1 Reg. 7: 23, 24, 25, 26, & 2 Chron. 4:
2, 3, 4, 5.

impenderunt, quorum in scriptis ne-
 que eruditionem, neque iudicium re-
 quiras; sed sive copiam, sive selectum,
 sive perspicuitatem & elegantiam
 species. omnia deprehendas elimati-
 sima. Dolendum autem est, non nisi
 paucissimorum scripta nobis ad mas-
 bus fuisse circa hoc negotium; Op-
 pido vero nulla eorum quos novimus
 ex professo & sigillatim tractatione
 Mathematica de mari nostro egisse,
 utpote Vilalpandum, Reyherum,
 Melum, Surmium, & alios. Quocir-
 ca cum Lexicographis, Commenta-
 toribus nonnullis, & his, qui vindis-
 cias ~~hanc~~ ^{Canae} Biblicæ declararunt,
 nobis tantummodo res fuit, qui in
 tota diversas, multiformes & disso-
 nas sententias digressi sunt. ut vix
 duos plane idem sentientes invenias,
 recte quæ de his illud comicè dici pos-
 si: *Quot homines, tot sententiae.* Scri-
 pturnam enim conciliare studentes,
 pro suo quisque genio, alii in san-
 ctissimam ipsius auctoritatem gra-
 viter peccant, dum ausu plane abo-
 mis

minando, vel sphalmata aut manuen-
sium incuria in texum sacrum irre-
pisse, vel rem aliquam falsam esse,
ex eo satis pueriliter argutantur,
quia angusta suæ rationis decempe-
da eandem meriti nequeunt: arque
sic nodos alicubi occurrentes violen-
ter secant, quos reverenter tollere
debuissent, vel aliis modis incongrue
ad suum placitum explicant; alii
in rectæ rationis principia injurii
sunt, qui nescientes Deum luminis
quoque naturalis auctorem esse, ca-
co quodam impetu ob leves quas-
cumque vel accurationi rationis bi-
lance non examinatas causas, ejus
diætamina immo ipsa quoque axio-
mata non verentur falsiæ arguere.
Quemadmodum Pitca or, qui ex ci-
tatis locis (b) incommodo ita conclu-
dit: quoniam nare hoc, quod fuit 10
Cubitorum in diametro, fuit etiam 30 in
circumferentia, sequitur diametrum esse
tertiam partem circumferentie. Plurimi
vero ut Lyra, Cornelius a lapide, Ma-

riana, Tossianus & reliqui, alio quodam errore rationem hanc pro vera habuerunt ; Matheseos enim ignari, his in locis ne ullam quidem difficultatem fulpicantur ; arque sic Mathematicum cognitione constituti veritatem attringere nequiverunt : Nam haud aliter, ut in proverbio est, ac cæcus de coloribus, de figura & capacitate hujus vasis judicant, qui Stereometria elementa ignorant. Idcirco cum haud parum luminis hoc argumentum, ubi sermo est, de figura ac capacitate vasis cuiusdam magnæ molis, ex Mathesi, præmissa jā explicazione Philologica, mutuari viderem, partem hanc posteriorem Mathematicam Tibi B L. pollicitus sum, quam nunc tanto lubentius in lucem edere satago, quanto certius m hi perlvasum habeo, Te, pro eo, quo es animi candore, hanc opusculi mei partem, eodem, quo priorem, favore amplexurum esse. Ipla autem hujus opellæ natura trimembrem nobis fecit

cit laborem ; adeo ut prima se^tio-
ne elementari nobis dicendum sit, de
indubitate certitudine scientiæ Ma-
thematicæ , contra illos , qui aliter
sentiant vel potius nugantur, addi-
tis nonnullis principiorum loco, quæ
ad faciliorem cognitionem eorum,
quæ sequuntur, requiri videntur. Se-
ctio secunda erit hypothetica de mens-
suris famosis apud Ebræos usitatis.

Hanc excipiet tertia problematica,
quæ, posito calculo, quam amice o-
mnia conspirent, accurate demonstrat.

SECTIO I.

PROPOSITIO I.

Matheseos certitudinem demonstrare.

Ab omnibus retro seculis magnifi-
ca hæc laus scientiis Mathematicis
concessa est, quod reliquas omnes e-
videntiæ certitudine superent : unde
consultum quoque duxit Aristoteles
ipsam argumentandi artem, ex Ma-
thematicarum demonstrationum se-
rie,

rie, tanquam indubitata norma, ex-
struere. Nec mirum videbitur hanc
scientiam tanta radiare luce, si ac-
curate ad ejus objectum, quo nihil
simplicius, principia, quibus nihil e-
videnterius, & sancte ubique servata
methodum respiciamus. Nam, ut
de Arithmetices objecto, omnium
simplicissimo, in praesenti nihil di-
cam, quid facilis unquam cogita-
tione concipi potest, quam quanti-
tas, ut vocant, continua per abstra-
ctionem omnitudinem a rebus sensi-
bilibus seu materialibus? adeo, ut
sit extensio quæ à universalis seu spa-
tium indeterminata, in quo tanquam in
matrice & receptaculo res omnes ma-
teriales continentur: quæ cum varie
mutantur, generantur & corrumpun-
tur, hoc manet ut immobile, ita a mu-
tationibus quoque omnibus liberum.
In hoc denique per facile conceden-
da postulata, absque impedimento
concipere licet lineas, superficies &
solida variis figuris determinata, qui-
bus per definitiones accuratas rite
de-

descriptis, ut in *Mathesi* sit, non possunt non exinde prono quasi alveo fluere axiomata multa & consequentia, demonstrationum omnium fontes. & principia. Quamobrem, qui non generat, quid faciat ejusmodi certa, nec multis difficultibus involuta abstractio, ad certitudinem & facilitatem cognitionem alicujus scientiae, haud dubie perspiciet, quantum hinc roboris nostra formatur scientia. His accedit iugis methodi, qua utuntur Mathematici, bonitas, cujus ope conclusiones suas, sub variis nominibus in certas classes, quasi in tot loculamenta, artificiose distribuerent solent, ut cujus ordinis singulæ sint tanto clarius patescat, & numerum cogitationum suarum inter easque lustrare faciliter possint. Hinc, vel nobis non monentibus, manifestum est, *demonstrationes Mathematicas* non posse non gaudere singulari quadam perspicuitate, cum firmitate incredibili conjuncta. Unde Pinius dicere solebat: Rationes, quæ

„quæ a Geometris afferuntur, non
 „persuadent, sed cogunt, immo af-
 „fensum extorquent. Nec, ut pau-
 cis rem absolvamus, illustre magis
 argumentum pro veritate Mathema-
 tica haberi posset, quam quod per
 inductionem, ut loquuntur Logici,
 exstruitur. Percurre enim Eucli-
 dis Coryphæi nostri, & reliquorum
 vere Mathematicorum scripta, nec
 temere invenies ullam propositionem
 a veritatis tramite aberrantem. Sic
 per barbara ista secula, cum alte se-
 pultæ jacerent reliquæ disciplinæ, e-
 gregia multa, quod miraculi instar
 est, in Mathesi inventa leguntur: nec
 poruit Scholasticorum turba impu-
 ris suis tricis & altercationibus al-
 tam hanc scientiam corrumpere;
 quamvis varie prima ejus principia,
 quibus sacræ initiati non erant, su-
 gillaverint. Ex his allatis procul du-
 bio abunde patet certitudinem hu-
 jus scientiæ, quemadmodum ejus ob-
 jectum, immobilem esse. Q. E. D.

Consecrarium.

Hinc quoniam conclusiones hujus

Sci.

scientiae sint evidentissima effata re-
& rationis, cuius ipse Deus, omnis
veritatis centrum, auctor est, de cer-
titudine demonstrationis, qua ostenditur
(g) diametrum circuli ad per-
ipheriam se aliter, quam ut 10 ad
30 habere, nullo modo dubitari de-
bet.

Scholion.

Neminem quidem, nisi vel prorsus imperitum, vel insane scepticum de hac certitudine serio dubitasse accepimus, quos ne operam & oleum, ut dicitur, perdamus, libenter cum suis quisquiliis relinquimus. Alio autem plane animo eandem inflarunt tibiam duo ad miraculum ulque eruditissimi viri, Thomas Hobbesius, & Petrus Daniel Huetius, Quorum prior, non contemnendus Mathematicus, ut ad inveniendum, ita ad innovandum natus, nimis circumscriptam esse laudum suarum messem existimavit, nisi insimul de aliorum constantissima fama non nihil decer-

A 5

peret

(g) *Conf. propos. sequent.*

peret. Nullius autem momenti fuisse rela in *Mathematicos vibrata*, malecule ostendit decus Angliae Johannes Wallisius, qui ea omnia tanta fortitudine excepit, graviora in adversarium retorquendo, ut Hobbesius de fastu Geometrarum magno motu disputans, ab aliis habitus sit omnium fastuosisimus. Alter Phænix & Noster Gallia nonnulla, in Prolegomenis elegantissimi operis de Demonstratione Evangelica, a Scepticis contra Mathematicorum methodum argute magis, quam solide disputata, collegit, non tam ad minuendam dignitatem nostræ scientiæ, quam ad excellentiam demonstracionum moralium extollendam, quasi altera alteram de fastigio deturbaret, nec simul cum veritate una, alia eodem gradu stare posset. Mathematicorum autem methodo in eo fariis trahuit, quod aliam certiorem non inventit, quam in egregio opere contra Atheorum nefarios cuniculos sancte sequeretur. Hæc vero tantum-

modo animi gratia ab ipso disputata esse in sequentibus pag. m. 31.
 innuit, ubi verba ita jacent; Quid
 „igitur? Geometriam aspernamur?
 „no equidem obtusa adeo pectora
 „gerimus: immo vero, artis miras
 „miser subtilitatem, præclaraque ad
 „veri noritiam ἐπιχειρήσα, & dia
 „reperta Geometrarum. Quantæ
 „hinc porro humano generi utilita-
 „tes existent, quis adeo hebes est
 „& fungus, qui nesciat? Quapropter
 „si quis Geometriæ contemnat opem,
 „maximis se ipse exuat incommodis,
 „eique ritu ferino vita ducenda sit.
 „Hanc olim studiose coluimus, plu-
 „rimaque nos inde ad reliquas disci-
 „plinas adjumenta percepisse profi-
 „temur. Et si quid ex aliis, in qui-
 „bus elaborandum nobis est, studiis
 „otii superestet, nobilissimæ huic do-
 „ctrinæ libenter & jucunde tribuere-
 „mus &c.

PROPOSITIO II.

*Invenire rationem Diametri ad circum-
 ferentiam.*

I. Quadrantur latera Polygonorum
 Cir-

Circulo inscriptorum per bisectionem
arcuum, donec perveniatur ad latus
arcum quam maxime exiguum sub-
tendens.

II. Invento hoc latere, quadratur la-
tus Polygoni similis circumscripsi.

III. Multiplicetur, pro perimetro ob-
tinenda, utrumque latus in numerum
laterum Polygoni tam inscripti quam
circumscripsi; sic habentur duæ ra-
tiones paullulum discrepantes, qua-
rum una minor, altera major, vera est.

E. g. Sit Diameter circuli 2000000
(qui numerus nobis, non tam rati-
onem exactam inquirentibus, quam
modum inveniendi leviter tangentia-
bus sufficere potest; nam, & Dia-
metrum in plurimas partes divitam,
& laborem prorsus incredibilem re-
quirit investigatio hujus rationis
exactior). Hinc latus hexagoni in-
scripti quod radio vel semidiametro
æquale est, erit 1000000 Quo facto
quadratur chorda arcus dimidi pro
latere dodecagoni, quo in iisdem
partibus erit 117638. Et sic deinceps
per

per bisectionem continuam, donec perveniatur ad latus quantumlibet exiguum, ut in nostro exemplo 192 laterum. Conf. tabula apposita, ubi posita diametro 2000000, ut supra, pro polygonis a 6 usque ad 192 laterum quantitas determinata est,

Numerus laterum Quantitas laterorum.

6	•	•	•	2000000
12	•	•	•	517638
24	-	-	-	261052
48	-	-	-	130806
96	-	-	-	65438
192	-	-	-	32724

Ita ut latus polygoni 192 laterum sit 32724. Polygoni vero similis circumscripti 32728. Hæc latera in 192 figillatim ducta dant perimetrum inscriptam 6283008, circumscriptam vero 6283776. Circumferentia itaq; circuit, cum minor sit polyg. circumscripto, & major inscripto, necessario rationem ad diametrum habet minorem quam 6283 ad 20000 = 31419 ad 10000 & majorē quam 62830 ad 20000 = 31415 ad 10000. *Scholion I.*

Ratio inter diametrum & circumfe-

ferentiam simplicissime praecedenti modo investigatur: Alii aliam ingrediuntur viam. Ingeniole vero & eleganter, in hoc studiorum genere veritissimus Dn. And. G. Dohre per calculum infinitorum demonstrat (e), diametrū ad circumferentā se habere

$$\text{ut } 1 \text{ ad } 4 - \frac{4}{3} \pm \frac{4}{5} - \frac{4}{7} \pm \frac{4}{9} - \frac{4}{11} \text{ &c.}$$

fractionibus hisce in infinitum productis, sic ut numerator semper sit 4, denominator vero continue in arithmeticā progressionē cum differentia 2 crebat, signaque \pm & — alternatim collocantur, ut ex praecedentibus patet.

Scholion 11.

Archimedes per polygonum 96 laterum circulo inscriptum, nec non simile circumscriptum, invenit hanc rationem quam proxime esse ut 7 ad 22. Metius vero ejus vestigis insistens investigabit eam exactiorem ut 113 ad 355. At omnium hucusque exactissi-

mam

(e) Första delen af en grundad Geometria.

mam vasto labore inquisivit Ludolphus Coloniensis ut 1000000000000-
0000000000000000 ad 314159-
265358979323846264338327950289 paul-
lulum supra veram , quod si in fine
locò 9 ponatur 8, habebitur ratio
minor vera.

Confectionarium.

Omnibus igitur numeris exacta ratio haberi nequit, quo majoribus autem constat eo plenior. Ludolphi-na abbreviata esse potest vel 100 ad 314, vel 10000 ad 31416. Exigua vero admodum inter has omnes est differentia, adeo ut *Metiana* a Ludol-
phina non nisi $\frac{3}{10000000}$ differat.

Scholion III.

Cum hanc rationum discrepan-
tiam vident artis nostræ imperiti,
haud dubie in suspicionem vel erro-
ris vel imperfectionis apud illos in-
curret *Matthesis*; ita ut eorum ju-
dicio de certitudine ejus plane sit con-
clamatum. Sed luspendant quæso paul-
isper

is per iudicium, dum ostendam dari quantitates, quarum in numero est diameter circuli ad peripheriam, quibus repugnat numeris exprimi posse, incommensurabilia Mathematicis dicta, de quibus non nihil in sequentibus.

Definitio.

Incommensurabiles sunt quantitates, quæ communem aliquam mensuram seu partem aliquoram non agnoscunt: vel quarum ratio numeris exprimi nequit.

Scholion I.

Incommensurabiles vocantur hæ quantitates non eam ob causam, quod nos rationem earum explicare non valeamus, sic enim plurimæ quantitates inter se commensurabiles, incommensurabiles essent, in quantum ab hoc vel illo homine resolvi non possent. Sed quoniam impossibile est rationem earum numeris designare, quæ impossibilitas non arguit defetum in Mathesi, neque ejus cultores ignorantiae, quatenus unice fluit ex

ex ipsa quantorum natura, quæ rationem inter se habent, non ut numerus ad numerum; Non enim quævis ratio numeris exprimi potest, quia non possunt ex omnibus extracti radices, sed plurimi sunt inexplicabiles, quare etiam a Mathematicis distinguuntur in rationales seu explicabiles, & irrationales, surdos seu inexplicabiles.

Definitio.

Quanta dicuntur ad certas potentias vel dignitates esse evecta, quando in se ducuntur; & distribuuntur pro numero multiplicationum in potentiam primam, secundam, tertiam &c. quarum potentia 1 est quadratum, 2 Cubus &c.

Scholion 3.

Quantitates illæ dicuntur potentia commensurabiles, quarum quadrata, cubi &c. rationem habent ad invicem, ut numerus ad numerum, quamvis radices easum incommensurabiles sint. Sic diagonalis in figura quadrata est potentia prima commensurabilis

latis lateri. Media proportionalis inter latus & diagonalem, est illi commensurabilis tertia potentia; licet latus, diagonalis, & media inter illas proportionalis simpliciter incommensurabiles sint.

Conse^tariorum.

* Omnes quantitates simpliciter com- mensurabiles, sunt etiam potentia commensurabiles, at non contra: Nam omnis numerus ad quamcumque po- tentiam evahi potest, & habet in prima potentia rationem duplica- tam, in secunda triplicatam &c. ra- tionis simplicis; at ex omni nume- ro radix extracti nequit.

PROPOSITIO III.

Quantitates simpliciter incommen- surabiles, potentia vero commensurabiles dantur.

I. Posito latere quadrati = 1, erit ejus quadratum = 1, & diagona- lis = 2, unde radix extracta dabit quantitatem diagonalis; hæc vero ex numero binario extracti nequit:

effet enim numerus vel integer, vel fractus, vel mixtus; non integer, quia major unitate, minor vero binario; nec mixtus, quia hic in se multiplicatus semper producit numerum fractum, qui per hypothesin effet binarius seu integer; neque radix esse potest fractus numerus, hic enim in se multiplicatus non augetur, ut fieri debet in potentius, sed minuitur.

2. Diagonalis quadrat. est duplū quadrati lateris, (*) at ex numero duplicato quadrato radix exacta haberi nequit. e. g. sit latus 6, erit ejus quadratum 36, Diagonalis quadratum 72, radix ex 72 non est numerus torus, quia necesse est, ut sit major 8, minor vero 9, inter quos numerus non datur torus; neque in fractis & mixtis per praecedentia. Ergo, quamvis Diagonalis ad latus potentia commensurabilis sit; ad latus tamen quadrati simpliciter incommensurabilis est Q. E. D.

B 2

Sibbo-

(*) Euclid. prop. 47. lib. I.

Scholion 1.

Ita ratio Diametri ad peripheriam numeris exacte exprimi nequit, quam in immensum calculus protraheretur. Ut autem huic defectui medelam afferrent Mathematici ingenti artificio excogitarunt aliam Arithmeticam, quam dicunt surdorum, ut & infinitorum, & differentialem calculum, quorum ope eo progrediuntur, quo mortalibus aspirare fas est. Atque sic culpa sine dubio caret scientia nostra; cum impossibile nullum sit obligatio.

Scholion 2.

Hæc paullo fusijs attingere visum fuit; superiunt autem adhuc multa, quæ ad cognitionem sectionis problematice faciunt, quæ institutum non patitur, ut ulterius persequamur; non enim disciplinam scribitus, sed tractarulum. Quamobrem stereometriæ imprimis elementa supponimus cognita, & ad alia properamus.

SECTIO II.

PROPOSITIO I.

Qubiti rationem apud Ebraos indagare.

Ebræis, ut omnibus fere antiquis, solenne fuit, mensuras majores & minores, quod vel ipsa eorum nomina indigitant, ex elegantissima corporis humani symmetria petere, atque, in uestum suum singulas, ex membrorum longitudine & situ vario, determinare. Cum autem tanta circa staturas, tam hujus, quam antiquioris sevi, hominum occurrat varietas, in propatulo est hoc fundamentum non posse non admodum vacillare, atque nos circa investigationem mensurarum veterum mirum quantum talerre. Non equidem dubitamus, quin antiquitus, quemadmodum hodie omnes bene constitutæ res publicæ haberint mensuras usuales & famolas, certa longitudine expressas, & auctoritate publica ordinatas; quarum tamen imagines omnes ita injuria

temporum & hominum incuria peri-
riere, ut de certitudine vetustiorum
apud se mensurarum vix ulla gloria-
ri possit gens. Unde mirum videri
nequit, quamvis ex scriptura Sacra
certissima Ebraicarum mensurarum
inter se ratio haberi queat, in colla-
tione tamen cum aliis gentium
modulis, aquam scriptoribus varie
hærere. Ad cubitum vero, de quo, una
cum Batho, nobis tantummodo
paucis agendum erit, quod attinet,
& scriptura Sacra ostendit, & omnes
fere consentiunt eum fuisse duplicem,
communem videlicet & sacrum. Ille
unanimi Ebræorum sententia consta-
bat 5 palmis seu 20 digitis. Cubitus
vero sacer, qui & regius dictus, cu-
jus usus in S:s Literis frequentissimus
est, in tabernaculi prælertim & tem-
pli Hierosolymitani structura (f) non
erat duplus cubiti vulgaris, ut non-
nulli volunt; sed palmo uno seu 4
tantummodo digitis euadet supera-
bar;

(f) Conf. Verba Lundii in fine hujus
propositionis citata.

bar, quod scriptura Sacra clare in-
nuit Ezechielis C. 40: v. 5. & C. 43:
v. 13. Horum priorem locum M.
Caspar Heinischius (g) sic explicat:
Dilecte Propheta: Mensura sex cubi-“
torum in cubito & palmo. Vult e“
nim indicare quali mensura usus“
fuerit Angelus in tota hac struc-“
ta dimetienda. Concedunt autem“
omnes, hunc esse sensum, quod“
calamus continuerit sex cubitos“
communes, & insuper palmum,“
non quod ultra sex cubitos com“
munes nihil accederet, nisi unus“
palmus, sed quod singuli cubiti u-“
no palmo, i. e. 4 digitis adaucti“
fuerint: ut adeo calamus continu-“
erit, quemadmodum dixi, sex cu-“
bitos vulgares & 24 digitos. Falli“
autem Gusletium cum aliis, qui vul-“
garem cubitum 6. & sacrum 7. pal-“
morum numero definiunt, infra (h)
a nobis demonstrabitur consentien-“
tibus Lundio & Heinischio Rabbi-

no-

(g) in clavi Ezech. m. p. 137.

(h) ibid. p. 136.

norum testimonis laffultis, quorum
 " hic: Credo, inquit, falso esse,
 " quod communis cubitus 24 & ta-
 " cer 28 digitis constiterit: sed com-
 " munis Hebræorum traditio est, (ut
 " Lyra testatur) communem cubi-
 " tum 20 constituisse digitis. Quoni-
 " am igitur calamus Angeli habuit
 " sex cubitos, eosque singulos pal-
 " mo, i.e. 4 digitis auctos, ut an-
 " tea dictum: ergo lacer cubitus, non
 " 28, sed 24 digitis constat. Atque
 " hoc testatur etiam universa struc-
 " ra templi & civitatis Ezechielicæ.
 Ille vero: (i) die Hebræer denen
 man hieran am besten glauben kan/
 und mit denen wir es auch hierin
 halten / sezen zwar auch heilige und
 gemeine ellen / aber sie machen die
 heilige nicht doppelt so groß / als
 die gemeine / sondern nur ein flache
 hand breit größer / daß die gemei-
 ne fünf / die heilige aber sechs fla-
 che hände breit gewesen. Neque
 dubium est, quin mare hoc cubito

sa.

(i) Jüdisch: Heilig: cap. 5. lib. 2.

sacro dimensum fuerit, sicut aliae res
sacræ, & vasa Templi, teste R. Mejer.
(k) Quare etiam Lundius sic conclu-
dit: Sind deminach alle ellen in die-
sem heiligen bau und gefäßen von 6
flachen händen zu verstehen / daß
jegliche elle 6 flache hände / oder 24
zoll oder fingerbreit gehalten / wel-
ches einmal vor allemal zu mercken.

Conlectarium.

Nobis igitur fundamenti loco cer-
tum erit cubitum Ebraeorum com-
munem tuisse 5 palmorum, sacrum
vero sex, hujusq; usum in mari no-
stro mensurando adhibitum.

PROPOSITIO II.

*Collationem cubiti Ebraeorum cum pede
Suetlico instituere.*

Heic certe tot occurruunt erudito-
rum discrepantes sententiæ, ut justa
nobis sit causa dubitandi, cuinam il-
larum tuto subscriptam. Fatetur B.
Ol. Elvius, qui ex instituto mensu-
ras cubicas intervallorum veterum
cum

(k) *Conf. Lundius Lib. I. cap. 2.*

Cum nostris contulit, (*) sibi quoque inter hæc divortia, aquam varie hæsisse, omnesque, quos ille viderat, in re vetustate deperdita, merisque involuta tenebris, nihil nisi conjecturis esse assicuros. Quamobrem, cum nobis in his locis denegatum sit consulere auctores, qui agmen in hac pugna ducunt, quorum ille copiam habuit ex instructissima Bibliotheca publica Upsaliensi, contenti erimus adduxisse ex dissertatione jam citata tabulam, quæ cubiti apud Ebræos usitati rationem, secundum diverlos auctores, ad pedem Sverth. in compendio sicut.

Cubitus Ebræorum continet.

ped: Sverth. & part. milles.

secundum	Willalpandum	--	2:	640.
	Stiernhielm.	--	2:	750.
	Ricciolura	--	2:	27.
	Marianam	--	2:	10.

Eisenischmidium. 1: 811.

Villalpandus & Stierhielmius ex capacitatem maris nostri suos excusplerunt numeros, de quibus infra

ju-

(*) in Diff. Acad. Ups. A:o 1713. habita.

(l) **judicium** quæcunque latuti sumus. Reliqui alii, suisque singuli argumentis, militant. Ricciolus autem statuit cubitum vulgarem Ebraeorum Babylonico ~~equalem~~, atque ex cubiti Babylonici quantitate ad Græcum cognita, invenit Ebræorum usū vulgatum cubitum constare duobus pedibus Græcis; unde ea, quæ in schemate, ejus adducta est ratio ad pedum nostrum profluxit. Huic quoque tentatiæ, quæ ad nostram, & Marianæ quam proximæ accessit, addi potest robur non contemnendum ex Herodoto, qui in Euterpe Pyramidem Memphiticam per singula latera 750 pedum Babyloniorum definit. Hanc vero Pyramidem jam cum superstitem eruditissimus Thevenotius Gallos haud ita dudum accurata dimensione invenit constare 682 pedibus Parisiens. Unde cognita proportione pedis Galliani ad nostrum, 1098 ad 1000, emergunt pedes Suetbici 748 $\frac{209}{250}$ Baby-

Ionicis 750 respondentes; adeo ut inter nostrum & Babylonicum pedem exigua sit differentia.

Consecrarium.

Hinc inter tot opinionum scopulos quantitatem cubiti vulgaris statuimus duobus nostris pedibus, seu ulnæ Svethicæ, æqualem, & sacrum consequenter ad Svethicam ulnam esse ut 6 ad 5; quadrati vero, ut 36 ad 25; Cubici, ut 216 ad 125. Rationem autem inter cubitum sacrum & pedem Sveth. ut 12 ad 5; quadratum ut 144 ad 25; cubicum ut 1728 ad 125. quæ ratio cum capacitatem Bathi & maris nostri optime conspirat, ut inferius patebit.

PROPOSITIO III.

Bathi Capacitatem investigare.

Bathum certam apud Ebraeos mensuram fuisse, pro liquidorum quantitate determinanda, ejusdemq[ue] capa-

pacitatis cum Ephä, frugibus aliis-
 que aridis expendendis destinata, ex
 Scriptura Sacra, & imprimis Eze-
 chielis C. 45. v. 11. abunde constat.
 Multum autem laboris facessit Vi-
 ris doctissimis, quod 1. Reg. 7: 25. le-
 gitur, Mare hoc cepisse 2000 Ba-
 thos, cum 2 Chron. c. 4: v. 4. 3000
 commemorentur; quapropter va-
 rios conciliandi modos agressi sunt.
 Nefariam eorum impudentiam, qui
 somniant numerum 3000 pro 2000
 mendose irripuisse, ut alios faceant,
 Glaffius retrænat, sic scribens: (m)
 Non facile pro אלף שְׁלַשֶׁת
 אלף irreperere scribarum negligentia,
 uti vores ipse ostendunt, nec Majoretha-
 rum indefessam sedulitatem quicquam cor-
 ruptela admissee. Alii Bathum dupli-
 cem fuisse potius concedunt, quam
 affirmant, cum diversitatem illam
 vix ostendere possint (i). Posito ve-
 ro duplicem fuisse sacrum & Vul-
 ga-

(m) in Philologia 3:a Lib. 1. Tract. 1 Reg. 7: 26. (i) ibidem.

garem, eodem tamen cum in S:æ
S:æ ambobus locis Spiritus Sanctus
vires sit cubito (qui omnino duplex)
idem quoque Bathi genus usurpas-
se, dubio carere viderat. Multi exi-
stunt, priori loco Scripturam los-
qui de aridis, posteriori vero de
liquidis, ita ut 2000 Bathorum, cum
cumulo, tertia parte superarent ean-
dem mensuram ad marginem tan-
tum impletam. Quorum in numero
sunt præter alios Lundius & Haffen-
refferus, qui sic scribit: (n) Ein auff.
gehaußt Simri giebt anderthalb ge-
sichtshens. Quanquam, quod nos vero-
si. nilius de cumulo Bathis singulis ad-
jecto, hoc alii absurde magis de cumu-
lo 1000 Bathorum mari superingesto
explicant. Sed hæc sententia difficulter
stare potest, quia Bath fuit mensura li-
quidorum tantum (o) de quibus his
locis unice sermo est, utpote a-
qua, cui mare nostrum recipienda
dicatum fuit. Deinde probabile est,
Eboracos aridorum etiam measuratio-

nem

(n) Gaffius loco citato (o) teste Junio

& Piseatore citante Polo i Reg. 1.

nem sine cumulo instituisse, quoniam cumulata, non incerta solum est, propter cumulorum magnitudinem, quæ pro frumenti & materiæ globositate & politura valde variat, sed etiam ob figuram vasorum diversam. Plurimi autem ita explcant, quod priori loco sermo sit de usu, prout solitum fuit impleri; & posteriori de tota capacitate, id est, quantum capere potuisset, si ad sus premium labii impleretur; atque sic Spir. Sanctum heic addidisse, quod illic omissum fuerit (p). Quorum sententiam nos ceterorum opinionibus non taliter anteferimus, sed tutissimam quoque, & verissimam pronunciamus; quia & optime conveniens est, ut in ipsa dimensione patet, & in scripturis fundamentum habet; exstat enim posteriori loco vox יבל, quæ priori non legitur.

PROPOSITIO IV.

Bathi solidit. ad mensuras metras reducere.

Ansam hujus indaginis nobis por-

ri-

(p) *Glossus citato loco & Fridlebius in Theol. sua Exeget. i Reg. 7: 26. conf. Pol.*

rigit Jo'ephus (q) qui Bathum sextarios leptuaginta duos comprehen-dere disertis verbis docet. Batho ve-ro a qualem fuisse Græcorum Metretam, unainque cum dimidia Amphoram Romanam continuuisse apud omnes in confessio est. Cognita itaque quantitate amphoræ, Bathi capacitas ignorari amplius nequit. De hac vero illustris locus est apud Fe-stum: Quadrantal, inquit, vocabant antiqui quod ex Græco Amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios. Unde patet Amphoram esse ad Bathum ut 48 ad 72, seu 2 ad 3. h. e. una parte tertia Batho minorem, & constituere exactam figuram cubicam, cuius latus est pes Romanus. Hic autem cum Svethe-co exakte aequalis sit, eadem illa Amphora est quoque pes cubicus Svethe. qui secundum calculum inge-niosissimi Stiernhielmii, edito publi-co confirmatum, decem Cantharos

no-

nostros accurate continet. Hinc
Barthum parte tertia amphoram su-
perantem 15 esse cantharorum, seu
amphoræ apud nos usitatissima, hest
anfar/ ex aliæ æqualem, manifestum
est. Conf. Tab. in novissima edi-
tione S:m Bibliorūm Suec. in fol.
& quart: & diss. ibi citata.

SECTIO III.

PROBL. I.

*Data diametro majore labii, ejus circum-
ferentiam, tam internam, quam exter-
nam, una cum area invenire.*

1. Diameter interna a labio ad la-
bium est 10 Cubitorum Sacrorum.
2. Addita crassitie maris palmari bis,
habetur diameter exterior 10; vel
10.33; Cubitorum.
3. Ut 10000 ad 31416, ita 10 cubiti
ad 31.416 cubitos, circumferen-
tiā internā.
4. Semiperipheria 15.708 in semidia-
metrum 5 ducta, dat aream inter-
nam 78.54, cubitos quadratos.

C

5. Ut

9. Ut 10000 ad 31416, ita diametres
externa 10.333 ad circumferen-
tiam externam 32.463. Q. E.F.

Consecrarium.

Hinc patet 10 cubitorum dia-
metro non competere 30 cubitorum
circumferentiam internam; exteri-
us vero, ubi Scriptura Sacra aper-
tis verbis ostendit peripheriam cir-
cumducte filio mensurata fuisse,
sumtam, adhuc magis a 30 cubitis
recedere, nimirum 2 cubitis, cum
partibus millesimis 463. Quamobrem,
viam monstranribus Sacris Literis,
& comite lana ratione, circumfe-
rentia 30 cubitorum locum intra-
labium, in ipso mari, assignavimus.

Sebotion.

Quoniam divisio famosa cubiti
Sacri in 24 digitos inepta non nihil
sit ad calculum, supposuimus eun-
dem pro facilitandis operationibus
in 1000 partes divisum, quarum
41 $\frac{2}{3}$. digitis singulis competunt; re-
duci vero facile possunt, si placet,

ad

ad digitos hac analogia, ut 1000
ad 24 &c. Quod erat indicandum.

PROBL. II.

Numeros inventos in pedes Sveticos, quorum quisq; ope Scale Geometrica in milie partes divisus est, converttere.

1. 5 Cubiti Sacri faciunt 12 pedes Svet. (Sectio 2. prop. 2.) ergo 10 faciunt 24, diameter interior labii.

2. 5: 12 = 10: 24 $\frac{4}{5}$ = 10. 333: 24. 800, diameter exterior, cuius circumferentia, quoꝝ labium ambiebat, est 77. 911.

3. 25 cubiti quadrati Sacri faciunt 144 pedes quadratos Svet., ergo 78. 54 faciunt 452.38. 93, area oris labii interna, in pedibus quadratis Sveticis, Q. E. F.

PROBL. III.

Ex data circumferentia ipsius maris infra labium, ejus diametrum & aream esse.

1. Ut 3: 416 ad 10000, ita 30 cubiti ad 9.549.

2. Hinc subtracta crassitie bipalma-
ri, remanet diameter interior 9.
216. Cujus circumferentia 28.592,
area vero 66.7070.
3. In Svetihiis pedibus (per proble-
ma 2:) est circumferentia exte-
rior 72 ped. hujus diameter 22.
918; at diameter interior 22.118.
Circumferentia 69.486. area 384.
23,23.

Conjectarium.

Cum ipsa maris capacitas requi-
rat, ut illud intra Iahuum ponamus
Cylindraceum, nec Scriptura Sacra
aliud suadere videatur; Diameter,
circumferentia & area fundi his
jam inventis æquales sunt.

Scholion.

Si diameter & circumferentia in
textu sacro designatae, uno eodem
que loco mensuratae tuissent, Scri-
ptura 1. Tautologiam committere
videretur, ambas illas designando,
quarum una tantum data, altera eo
ipso cognita est. 2. in descriptione
hac esset imperfecta, quia de rota hu-

hujus vasis^v structura sub labio ni-
hil rangeret. 3. A veritate, sit ver-
bo venia, aberraret, statuendo dia-
metro 10 Cubitorum competere cir-
cumferentiam 30 cub: & consequen-
ter lineam rectam esse æqualem li-
neæ curvæ ab iisdem terminis du-
ctæ, nec non duo tribus. Neque
licet suspicari S:m S:m minurias
heic neglexisse, quia non fractio-
nes solummodo, sed $2\frac{1}{2}$ ferme cu-
biti desiderantur, ut probl. 1. de-
monstratum (r). Hæc vero incom-
moda nos evitamus, ut ex tota hæc
lectione manifestum est.

PROBL. IV.

*Latu Cubicum Bathi, ejusque capacita-
tem in cubito sacro, & pedibus Sue-
thicus indagare.*

i. Cum Bath (s) sit mensura 15 Canth.
sve. unius vero pedis cubici Svet.
capacitas est 10 Canth. secundum
ordinationem Stiernhielmannam;
erit

(r) Conf. Pars prior §. 9.

(s) Sectio 2. propositio 4.

erit capacitas Bathi $\frac{1}{2}$ vel 15. ped.
Sveth. ejusque latus cubicum 1.
145. in pede svethico.

2. Ut 12 ped. Sveth. ad 5 Cubit, ita
latus Bathi 1. 145. in ped. nostris,
ad 0.477, ejus latus cubicum in
cubito sacro, h.e. $\frac{11\frac{9}{20}}{20}$ fere digi-
torum.

3. Deinde ducatur hoc latus in se
ipsum cubice pro capacitatem ob-
tinenda in cubito sacro, quæ est
0.158, 506, 993. Vel per hanc ana-
logiam inferatur, ut 1728 ad 125,
ita $\frac{1}{2}$ ad $\frac{375}{3456} = \frac{125}{1152}$ cubitos in
cubo.

Consecutarium.

1. Hinc soliditas Bathi 0.108, 507, vel
 $\frac{11\frac{25}{2}}{2}$ multiplicata per 2000 dat 217.
014 capacitatem maris infra labium
in cubito sacro. h.e. cubitorum 217
cum digitis 192, seu digitorū 300000;
hæc capacitas bifariam divisa dat

capacitatem labii, seu 1000 Bath. cubitorum 108, cum dig. 7008, seu digitorum 1500000; hæc vero dimidia pars duplo addita dat soliditatem 3000 Bathor. seu totius maris 325521. **cubit.** cubicorum, h. e. Cubiti 325. cum 7200 digitis, seu digit. 4500000.

2. Pes cubicus sveth. continet 10 Canth. ergo 2 Bath. seu 30 Canth. requirunt 3 pedes cubicos Sveth. Hinc ut 2 Bath, ad 3 pedes; ita 2000 Bath, ad 3000 ped. Svet. cub. capacit. maris infra labium; unde labium continebit 1500, & mare totum 4500 pedes nostros cubicos.

Scholion.

E re esse duximus hos numeros distinctius heic explicare, ut brevioribus in sequentibus nobis esse liceat.

PROBL. V.

Datis area fundi, & capacitatem vasis infra labium cylindracei, investigare ejus altitudinem.

I. in Cubito Sacro, divisa capa-

ci-

citate 217 or4, per aream fundi 66.
70,70, oritur altitudo maris intra
labium 3.254 Cub. Sacr.

2. In pedibus Svetlicis erit 7.808.

Scholion.

Sed quæri possit, an ex 2000 Bathis pars maris cylindracea exacte impleta fuerit? facile intelligitur ex iis, quæ in parte priori §. 18 le-
viter disputata sunt, aquas ad la-
bium ascendisse; secus enim per
sculpturas, quæ proxime sub labio
erant emanare non posuissent. Non
tamen probabile est, quandam ea-
rum partem fuisse in labio, cui lati-
tis esse videtur, habere prope $\frac{3}{4}$
partem altitudinis totius Vasis. Sed
regeret quispiam ex principiis Hy-
draulicis: Si aquæ ad labium tan-
tum ascendissent, per sculpturas
non effluerent, sed stillando in va-
sa vel fosas abirent, cum earum al-
titudo eadem sic fuerit cum ipsis fo-
raminibus. Sed, utut facile credimus,
quod ipsa quoque res & usus lo-
quitur, non fuisse fluxum aliquem

rapidiorem, sed maxime placidum; altitudinem tamen illis prorsus eandem negamus; tuerunt enim sculpturæ formatæ ad similitudinem capitum boum, quorum in ore, seu infima parte, foramina terminabantur.

PROBL. VI.

Data altitudine, & capacitate maris infra labium, determinare altitudinem labii & capacitem ejus in forma cylindrica.

1. Ex tota altitudine Maris 5 nempe cubitis, auferantur altitudo partis cylindraceæ 3.254. una cum crassitate fundi $\frac{1}{6}$ vel o. 166, restat altitudo labii 1.580.

2. Ut 3.254 ad 200 Bathos, ita 1.580 ad 971 Bathos 2 Cant.

Consectarium.

Hinc manifestum est, ipsa quoque jobente Scriptura S:a, labium non ascendisse in formam cylindri, sed fuisse omnino repandum. Differentia enim 971 B. 2 C. a 1000 Bath. 28 Bathi 13 Canth. quaerenda est in reclinazione labii.

Pros

PROBL. VII.

Fiat per hypothesis deviatio labii per lineam restam, ut sit conus truncatus: ex data diametro ejus majori & minori, cum altitudine intercepta, invenire ejus soliditatem.

1. Diameter major 10 cub. minor 9.216 differentia 0.784.

2. Ut 0.784 differentia diametrorum, ad 1. 580 altitudinem coni truncati, h. e. labii, ita diameter coni majoris 10, ad ejus altitudinem 20. 154.

3. ab altitudine Coni majoris jam inventa 20.154. auteratur altitudo labii 1.58, restat altitudo coni minoris 18.574.

4. $\frac{1}{3}$ Altitudinis coni majoris 6.718. in ejus baseos aream 78.54. (prob. 1.) dat 527.632. soliditatem Coni majoris.

5. $\frac{1}{3}$ altitudinis Coni minoris 6. 192 in baseos aream 66.70,70. (prob. 3.) dat 413.044. soliditatem coni minoris.

6. Ablato cono minori 413.044,

a majori 527. 632, restat 114. 588. Cubiti Sacri cubici, soliditas coni truncati, cuius maxima & minima diametri a quales sunt labii diametris.

Hic numerus dividatur per soliditatem unius Bath, vel 125 Cub: Sacri dant 1152 Bath. ergo 114.588 faciunt 1056 Bath. i Canth. capacitatem coni truncati.

Confectarium.

Labium igitur non fuit regulare in coni secti forma elaboratum; sic enim 56 Bathos i Canth. superat capacitatem genuinam 1000 Bath. in S. S:a definitam; sed fuit irregulariter repandum.

Scholion.

Hanc ob causam assimilatur Lilio, non autem propter angularitatem, ut Relandus vult; nam S:a S:a apertis verbis docet illud fuisse rotundum circumqueaque. Neque labium hoc fuit sectum ac spissum, secundum formam foliorum Lili, sic enim cum poculo & calice

ce non convenisset. Conf. Part. prior
sect. 2. §. 8.

PROBL. VIII.

*Data differentia capacitatibus labii su-
pra formam cylindricam 28 B. 13. C.
Et infra Conicam 56. B. 1 C. quadan-
tensus ejus figuram venari,*

Sit Conus truncatus, qui cap-
pit 1800 Bathos, ejusdem cum la-
bore altitudinis & diametri minoris;
rum ejus diameter major per analy-
sin invenitur ex altitudine, dia-
metro minori & soliditate data.

1. Diameter Coni minoris est 9. 216.
Circumferentia 28.592, area 66.
70, 70 (prob. 3.).

2. Diameter Coni majoris est 9.
216 \pm x, (nam differentia adhuc
ignota, qua diameter major mi-
norem excedit, igitur notatur signo
x,) Circumferentia consequenter
28. 952 \pm 3. 1416 x. Area 66.70,
70 \pm 14. 476 x \pm 0. 78, 54 xx.

3. Ut x differentia diametrorum ad

1.580. altitudinem labii seu coni truncati, ita diameter coni majoris 9. 216 \pm x, ad ejus altitudinem 14. 56128: x \mp 1.580. ablata vero hinc labii altitudine l. 580. restat altitudo Coni minoris 14. 56128: x.

4. Altitudinis in aream baseos duxta, dat Soliditatem conorum, majoris 323. 7749: x \mp 105. 3968 \mp II. 4364 x \mp o. 4136 x; minoris vero 323. 7749: x.

5. Ablato cono minori a majori, restat soliditas Coni truncati 105. 3968. \mp II. 4364 x \mp o. 4136 x. \approx qualis 1000 Bathis, i. e. 108. 507. cubitis cubicis.

6. Reducantur ad æquationem pro invenienda quantitate x

$$105. 3968 \mp II. 4364 x \mp o. 4136 xx. \\ = 108. 507 \text{ i. e. } x = 0.2701.$$

Differentia inter diametrum minimam & medium; inter hanc vero & maximam est o. 514. quarum prior o. 2701 diametro labii minori addita dat diametrum quæ sitam 9. 486. coni

coni truncati 1000 Bathorum. Hæc itaque diameter in Fig. v. R. cum altitudine labii in forma coni secti dat veram labii capacitatem. Cum vero labii diameter superior 10 Cubitis in S. S:æ definita, nullam admittit decurvationem, differentia vero hujus diametri intra minorem diametrum labii sit tere pars tertia excessus majoris diametri supra minorem; per approximationem in delineando labio duæ tere tres partes in triangulo i. k. l. extra labium relinqu debent, Q. E. F.

Scholion.

Non præfens tantum Problema verum etiam plurimæ alias propositiones jure suo sigillarim postulant Figurarum delineaciones; cum autem non tantum chalcographo, sed ligno quoque figuræ incidendi artifice destituamur. Unicòntum scheme, Annici opera, elaborato, ut contenti esse posse, nec effitas imperavit.

THEOREMA. I.

Cubitum Sacrum non fuisse aequalē

noſtræ ulnae, neque palmis Romanorum
ſeptem, ex capacitate mari & Ba-
tbi evincere.

1. Sit ergo, per hanc hypothefin pe-
riphelia partis cylindracea maris intra labium 30 cubitorum æ-
qualis 30 ulnis Sveth. Diameter
exterior 9.549. interior 9.216.
Circumferentia 28. 592. & area
66.70.70.
2. Cum pes Svethicus in cubo con-
tineat 10 Canth. cubitus sacer cu-
bitus ex hac hypothefi, contine-
bit 80 Canth. nostros seu 5 $\frac{1}{3}$ Bath.
Hinc pars Cylindrica 2000 Batho-
rum requirit cubitos ejusmodi lo-
lidos 375, quibus pro altitudine
hujus partis invenienda, divisis
per aream fundi 66.70.70 hu-
jus cubiti seu ulnæ Sveth. (prob.
3.) dat altitudinem 5. 62 quæ ex-
cedit altitudinem totius maris in
Scripturis indicaram.
3. Posſra vero cum Guffetio quanti-
tate Cubiti Sacri æ quali 7 Ro-
ma-

manorum palmis, esset tantum $\frac{7}{8}$

ulnæ nostræ; atque sic cum infra longitudinem cubiti jam ad ducti subsistat, capacitas maris ad huc per hanc hypothesin minor, & altitudo major erit. Q. E. I.

Consecutarium.

Hinc patet, admisso cubito sacro ulnam nostram non excedente, admittendam quoque esse vel capacitatem multo minorem 2000 Bathis, vel altitudinem majorem partis cylindraceæ, quam tonus maris fuit, directe contra S:æ S:æ testimoniū; vel capacitas Bathi minuenda esset, adeo ut secundum priorem sententiam non contineret 10, per posteriorem vero vix ultra 6 Cantharos.

Scholion.

Nec habere potuit mare nostrum, secundum Villapandum, figuram he mi-

misphæricam, nisi vel cubitus, qualis ejus & Stiernhielmii est, valde augeretur, vel Bathi capacitas misueretur. Nam secundum nostrum cubitum Sacrum mare totum in forma hemisphærica non caperet ultra 2405 Bath, quod a vera maris capacitatem differt 595 Bath. Et cum Sphæra non tangat planum nisi in unico puncto, super boves commode collocari non potuit.

THEOR. II.

Cubum mari nostre aequalem investigare.

Cum labium sit, irregulare Geometrice fieri nequit; Arithmetice vero ita:

1. Bath est $\frac{125}{1152}$ Cubiti Sacri cubici,

(probl. 4.) ergo ut 1152 Bathi ad 125 cub. ita 3000 Bathi, ad 325.520, 833. cubitos cubicos Sacros, capacitatem totius maris.

2. Ex tota huius vasis capacitatem in cub. Sac. cubicis jam data 325.

520, 833, extrahatur radix cubica pro obrinendo latere cubi, quod est 6. 879, cub. id est 6 cubit. &

$21 \frac{12}{125}$ dig.

3. In pedibus Sverthicis. ut 2 Bath ad 3 pedes (prob. 4. Consect) ita 3000 B. ad 4500 pedes Svet. cubicos quae est capacitas tota, ejus radix cubica 16 ped. $5 \frac{1}{10}$ dig. est latus cubi.

PROBL. IX.


Delineationem maris per medium perpendiculariter sebi inservere.

1. Construatur Scala A. B cujus partes majores sint cubiti, eorumq; primus in partes decimales divisus.
2. Dac lineam DEC 9. 216. diametrum fundi interiorum.
3. Ex ejus medietate E. erige lineam perpendiculararem EG 4834, erit EF 3.254 altitudo partis Cylindraceæ; FG 1.58 vero labii.
4. Fac lineam HFI = DEC etiam

M U O

G

K R T



5 6 7 8 9 10

A

lēm & parallelam, pro diametro suo
periore partis cylindracea, seu mi-
nore labii.

5. Huic iterum parallela fiat M L 10
cubitorum, diameter labii major.

6. Conne^ctē puncta C I L & D II M
pro cavitate vasis, si labium fuisset
in forma coni secti, & adde
utrinque crassitatem palmarem seu
 $\frac{1}{3}$ partium decimalium.

7. O. H. I. k. representat labium ad-
scendens in fig. cylind. quæ dia-
metrum & capacitem labii
28 Bath. 13 Canthar. minuit; altera
H M I L est Coni truncati, quæ
excedit capacitem labii 56, Bath.
& I canth: ita ut capacitas coni
secti excavari k l i & H M O sic
84 Bath: 14 Canth. quorum 28 B.
13 C: ad complendum labium assu-
mendi, reliquis 56 B. 1 C. extra vas
relictis.

8. Linea U R 9.486. est diameter media-
ta, cuius area cum altitudine coni
secti H U I R collata dat v. ram ca-
pacitatem labii 1000 Bath, & o-

stendit duas fere partes ex Triangulis H M O & I K L extra labium relinquendas esse, & unam tantum in delineatione retinendam. Unde manifestum est ex figura labium repandum suisse in forma illius. Q. E. F.

Seo vela jam contrahentes, C. Lector. rogamus; velit de meliori nota sibi hocce nostrum opusculum commendatum habere, in quo duo scripturæ loca apparenter contradictoria, ita, favente summo Numinis, secundum literam simplicissime conciliata sunt, ut sibi optime cohærent, neque in Matheſin & Ianam rationem impingant.

SOLI DEO GLORIA.

